348.327
P16

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/desaecularizatis0000vari

DE SAECULARIZATIS

ET SAECULARIZANDIS

INSTRUCTIO

AD FRATRES ORDINIS MINORUM

AUCTORITATE RMI P. ALOYSII A PARMA

MINISTRI GENERALIS TOTIUS ORDINIS

EXARATA

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

AD CLARAS AQUAS
prope Florentiam
EX TYP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

—

1894.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

348.327
816

Acc. 5431

DE FRATRUM NOSTRORUM

SAECULARIZATIONE.

I.

ARGUMENTUM.

Illud maxime nos compellit ad hanc brevem elucubrationem de saecularizationis natura et effectibus, quod plerumque hujusmodi Fratres saecularizandi et saecularizati falso sibi persuadere velint, se omnino per saecularizationis Indultum eximi ab obligationibus, quas per solemnem regulae et votorum professionem contraxerunt. Ne igitur et amplius sibi cum maximo detrimento salutis illudant, sit normae instar brevis haec exaratio.

II.

DEFINITIO.

Saecularizatio vi nominis idem significat, quod ex sacro seu religioso, saeculare seu profanum fieri. Vi canonicae acceptionis denotat Indultum Summi Pontificis Regulari impertitum,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

per quod, non ex Religione seu ex religioso Ordine, sed tantummodo ex Monasterio seu ex religiosa communitate egrediendi facultas conceditur, ut in saeculo sub obedientia et omnimoda jurisdictione Ordinarii benevoli receptoris degat, eximaturque a jurisdictione regularium suorum Superiorum.

III.

DISTINCTIO.

Saecularizatio distinguitur triplex: a) *ad tempus,* nempe determinatum; b) ad vitam, seu *quoad vixerit,* vel in perpetuum; c) ad *nutum,* seu beneplacitum *S. Sedis,* quae hodie raro conceditur.

Quoad a) « Saecularizatus *ad tempus,* elapso termino praescripto, ad Conventum reverti, et ibi recipi debet, nisi a S. Sede Indultum prorogetur ».

Quoad b) « Saecularizatus *in perpetuum,* si ratione vitae in saeculo peractae nihil obstet, consentiente Ministro Generali ejusque Definitorio, ad Ordinem denuo admitti potest, quin ad id Religio teneatur ».

Quoad c) « Saecularizatus *ad nutum S. Sedis* ad Ordinem denuo admitti neque debet, neque potest, nisi speciale ad hoc Indultum a

S. Sede, et consensum Ministri Generalis ejusque Definitorii obtinuerit (1) ».

IV.

SAECULARIZATIONIS EXISTIMATIO

Generatim loquendo, Religiosi saecularizati a) infideles sunt Deo; b) extra viam propriae vocationis, et idcirco in gravi periculo aeternae damnationis versantur; c) ingrati sunt S. Matri Ecclesiae et propriae Religioni.

Re sane vera: a) in solemni votorum emissione Religiosus stricte se obligat coram Deo quoad regulam sui Ordinis et quoad vota substantialia status religiosi; sed per saecularizationem valde difficilis redditur earumdem obligationum observantia, et effective plerumque ipsa professio frustratur; consequenter Religiosi saecularizati infideles sunt Deo. Quare ad eos referri censenda sunt monita Sapientis (2): « Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Displicet ei infidelis et stulta promissio ». Infidelis est promissio, cui deest veritas; haec vero deest quoties non adest vera

(1) Constitutiones Gen. Ord. Min., n. 94-96.

(2) Eccl. 5, 1 et 4; Ps. 115, 5 et 8; 49, 14; Prov. 20, 25; Num. 30, 15.

ac perseverans intentio adimplendi. Stulta autem est promissio ejus, qui nescit ad quid se obliget. « Periculis rerum humanarum, docet Angelicus Doctor S. Thomas (1), est obviandum per res humanas, non autem per hoc quod res divinae convertantur in usum humanum: professi autem Religionem mortui sunt mundo, et vivunt Deo; *unde non sunt revocandi ad vitam humanam occasione cujuscumque eventus* ».

b) Quam vera sint haec S. Doctoris verba patet ex magnitudine vel solius doni Dei, quod est *vocatio religiosa;* de qua loqui videtur S. Leo Papa (2), scribens: « Etsi necessarium est trepidare de merito, religiosum est tamen gaudere de dono; quoniam qui honoris est auctor, ipse mihi fiet administrationis adjutor: et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem ». Ex his concludere licet, quam periculosam viam ineunt qui vocationi suae per saecularizationem temere detrahunt, eique plane non obsecundant.

Hoc ipsum clare evincit S. Alphonsus (3) ex libro Proverbiorum (4): « En proferam spiritum meum — ecce divina vocatio, — quia vocavi et renuistis.... Despexistis consilium

(1) Sum. theol. 2-2, q. 88, art. 11, ad 1.
(2) Serm. 1 in die assumpt. suae.
(3) Op. Moral., lib. 4, n. 78.
(4) Cap. 1, v. 24, et sq.

meum... Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, et intus, quasi tempestas ingruerit — tempestas nempe tentationum et periculorum, quibus saeculum abundat, — quando venerit super vos tribulatio et angustia, tunc invocabunt me, eo quod exosam habuerint disciplinam, nec acquieverint consilio meo: — nota quod loquitur Deus, non de praecepto, sed de disciplina et consilio — et detraxerint universae correctioni meae: — hic improperantur qui parvipendentes vocationem, dicunt in omni statu aeque secure salutem consequi posse. — Comedent igitur fructus vitae suae, suisque consiliis saturabuntur. — En punitio eligentium statum non secundum divinum, sed proprium consilium. — Aversio populorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos: — ruent isti ad quamcumque levem saeculi tentationem, et ipsa saeculi bona servient eisdem ad perditionem ». Haec, et non pauca alia quae ibidem profert S. Doctor, videbuntur alicui exagerata; dum reipsa si perpendantur emolumenta vitae claustralis, quae saecularizati deserunt, et pericula vitae saecularis, in quae saecularizati intromittuntur, et quae vel ipsis saecularibus utcumque timoratae conscientiae aculeos infigunt, verissimum judicium S. Al-

phonsi clare apparebit. Quin immo tale judicium ipse Dominus protulit, dicens: « Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei ».

c) Religiosos saecularizatos ingratos quoque esse S. Matri Ecclesiae ex eo patet, quod ipsa semper magno cum charitatis affectu prosecuta sit Religiosos, fovens eos, et magnis ac multis gratiis et privilegiis ditans; hac tamen sub conditione, ut in suo statu fideles permaneant. Ingratos porro eosdem esse suae Religioni, sola talis eorumdem egressio ex Religione satis commonstrat. Cum generatim, juxta regulam juris (1): « Factum legitime retractari non debet, licet postea casus eveniat, a quo non potuit inchoari », id multo magis valet quoad propositum nostrum.

V.

SAECULARIZATIONIS CAUSAE.

Ne autem quis ambigat hujusmodi Religiosos gravibus duci rationibus, non verendum est in exponendis eorum veris ad hoc causis. In jure enim dicitur: « Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur (2) »; veras autem causas saeculari-

(1) LXXIII, in 6.
(2) R. J. III, in 5.

zationis communiter esse sequentes, nec ipsi conscientiose diffitebuntur. Et quidem 1° *ambitio.* Praetendunt enim nonnulli honores et dignitates injuste sibi denegari; ideoque Religionem relinquere student. 2° *Inordinatus terrenarum et deliciarum amor,* cui in Religione, ob inopiam, aut Superiorum vigilantiam, satisfacere nequeunt; quare ad saeculum redire alii statuunt, ut ibi cupiditati suae satisfacere valeant. 3° *Nimiae relationes cum saecularibus,* quibus conformari vellent, invidentes eorum libertati et felicitati!

Ad hunc infaustum gressum eos disponere solent sequentes negligentiae: singularis oscitantia in oratione et divino officio, impatientia in recipiendis correctionibus, et contumacia erga Superiores, melancholia conjuncta cum difficultate tristitiae causas revelandi, fuga conversationis cum Religiosis observantibus et amicitia cum murmurantibus et discolis, furtivae epistolarum scriptiones et transmissiones, irrisio piarum consuetudinum et exercitiorum religiosorum, S. Confessionis et Communionis omissio vel dilatio, etc. Ejusmodi negligentiae et defectus, si eis non opportune occurratur, Religiosum pedetentim eo deducunt, ut vita religiosa eum taedio afficiat, ac proinde se infelicem sentiat, atque mundanas consolationes quaerat. Haec est brevis historia

fere omnium, qui vocationem suam amiserunt. Quis umquam audivit, aliquem Religiosum orationi deditum et regularis disciplinae studiosum vocationem suam amisisse et saecularizationem petiisse (1)?

VI.

QUIS INDULTUM SAECULARIZATIONIS CONCEDIT?

Solus Smus Pontifex concedere potest saecularizationis Indultum; ast illud concedere non solet, praesertim *in perpetuum,* nisi ob graves causas, sive favore alicujus Regularis, sive etiam favore Ordinis, ne ob aliquem Religiosum nimis gravetur: omnes tamen saecularizatorum Regularium causas dirimit per S. Congregationem *Episcoporum et Regularium* (vel super *Disciplina Regulari*), uti eadem S. C. respondit ex audientia SSmi die 30 Januarii 1824 (2).

(1) Verumtamen Superiores Regularium circa validitatem Indultorum saecularizationis anxii non debent esse, quatenus S. C. EE. et RR. declaravit, ab iisdem Superioribus hujusmodi Indulta pro validis haberi debere quoadusque ab eadem S. Congr. tamquam invalida declarata non fuerint. Ap. Bizzarri, Collectanea, Romae edit. 1885, pag. 47-8.

(2) Ap. Bizzarri, l. c.

Hanc ob rationem Benedictus XIV in sua Const. *Pastor bonus,* d. d. 13 Aprilis 1744, inter cetera ad Majorem Poenitentiarium sub § 33 statuit: « Nemini autem Regulari quacumque de causa permittere valeat, ut in habitu saeculari, seu clerici saecularis in perpetuum extra claustra vivere possit ». Praeterea idem Pontifex in Const. *Pontificia commendatione* d. d. 27 Maji 1746 praecepit: « A Regularibus praetendentibus se Apostolica facultate ad statum clericalem saecularem translatos,... et actu degentibus extra claustra, debent Episcopi exquirere de veritate talis Indulti, et eos compellere, adhibita etiam vi, ad sibi hujusmodi Indultum ostendendum, atque insimul, postquam illud perlegerint, diligenter expendere causas in ipso Indulto contentas et expressas, veraene an falsae sint. Quod si illud Indultum commonstrare et tradere detrectaverint, adversus eos, juris ordine servato, statim procedere juxta facultatem sibi attributam a Conc. Tridentino (1). Et si Indulti causas minime veras esse compererint, non debent dubitare super ejus subreptione seu obreptione pronuntiare et adversus Religiosum procedere extra claustra sine facultate degentem ».

Eapropter S. C. EE. et RR. in concedendis Indultis saecularizationis professis votorum

(1) Sess. 6, cap. 3 de reform.

solemnium, ordinarie loquendo, praerequirit testimonium Episcopi benevoli receptoris (1): secus suspensi manent quoadusque patrimonium vel pensionem ad congruam sui sustentationem non invenerint (2). — Igitur liceitas, imo et ipsa validitas Indulti saecularizationis pendet a veritate expositorum ab Indultariis; consequenter responsabilitatem pro recessu a vocatione et contractis obligationibus coram Deo et hominibus Indultum saecularizatis relinquit. Summus quidem Pontifex, urgentibus gravibus causis, dispensare potest in votis, sicut et in religiosae regulae aut constitutionum praeceptis; tamen hoc per simplex saecularizationis Indultum nunquam facit. Propterea dicit S. Bonaventura: « Quod si de licentia Apostolica glorientur aliqui, pro certissimo sciant, contra hanc Domini sententiam Papam nihil facere: « Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei ». Quodsi mendaciis intervenientibus aliquid contingat, per tales a Sede Apostolica impetrari, non est eis excusatio, sed accusationis duplicatio, dum mendacio tantum Patrem circumvenientes suae quaerunt apostasiae pallium (3) ».

(1) Cfr. Acta S. Sedis, vol. XXIII, p. 634.
(2) Ibid. vol. III, pag. 535.
(3) Cfr. Acta Ordinis Min., an. IV, p. 88.

Haec mirifice confirmantur ex litteris s. m. Pii Pp. VI, quas in forma Brevis direxit ad Episcopum Brunensium (1). « Curandum in primis est, ait ad Episcopum quoad Religiosos ab eo saecularizatos, ut omnes in vocatione sua permaneant; ideoque in alia vel proprii vel alterius Instituti monasteria se recipiant, ubi vota solemnia, quibus vitam suam Deo consecrarunt, rite recteque persolvant... At si forte cuipiam accidat, ut receptorem — monasterium quod eum recipiat — sibi nequeat invenire, in hoc infortunio tantum sinimus eum tamdiu in statu presbyteri saecularis permanere, quamdiu ita vivere sola necessitate cogetur... Habes itaque sententiam Nostram, ad quam omnia consilia componere debes. Hinc facile intelliges Nos minime eis assentiri, qui dispensationem a votis solemnibus postulant. Cave igitur, ne dispensatio hujusmodi, qua decor et pulchritudo domus Dei pollueretur, audiri contingat in Ecclesia. Neque tu potes jure ordinario concedere, ut recte cogitas, neque Nos tibi ejus tribuendae jus vel potestatem delegamus ». Hanc praxim jugiter tenuit et tenet

(1) Hic Episcopus dioeceseos suae Regulares Carthusianos, ad dispersionem vi civilis impiae legis adactos, a Statutis suis liberos declaraverat, et clero suo saeculari adcensuerat: de quo eum Summus Pontifex fortiter reprehendit. Ibid. an. I, pag. 153.

S. Sedes, prout constat ex variis ejus declarationibus (1).

Si tale est judicium S. Matris Ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis (2); quae nunquam contra fidem vel bonam vitam facit, nec approbat, nec tacet, ut inquiebat S. Augustinus (3); numquid aliter nobis sentire, docere, et eo minus in praxim deducere fas erit?

VII.

MODUS PROCURANDAE SAECULARIZATIONIS.

Positis vere *gravibus* rationibus, saecularizationis Indultum requirentibus, sequentes sciant tenere regulas.

a) Ex hucusque dictis sequitur, quod saecularizationis Indultum a nemine alio legitime et valide obtineri potest, nisi a Romano Pontifice, mediante S. Congregatione EE. et RR.

b) Religiosus saecularizationem impetrare intendens preces suas dirigere debet ad respectivum Procuratorem Generalem, cujus est petitionem S. Congregationi porrigere. Verum

(1) Cfr. Resp. S. Poenitent. sub die 28 Jun. 1866, n. 5 et 6; et aliud d. d. 18 April. 1867, n. 2, sq.

(2) I Tim. 3, 15.

(3) Epist. 55. Cfr. Epist. 34 ad Januar.

Procurator Generalis respectivae familiae, sicut et Procurator Generalis Ordinis, pro nemine saecularizationis Indultum impetrat, nisi prius audiatur saecularizandi Fratris Minister Provincialis (1). Propterea convenit, ut ejusmodi petitio Procuratori Generali per ipsum Ministrum Provincialem exhibeatur, vel ut precibus directe ad Procuratorem missis saltem relatio Provincialis simul adjungatur; ita enim tempori et expensis consulitur.

c) Directe igitur hujusmodi preces non possunt mitti ad S. Sedem, quia S. Sedes saecularizationis Indultum nunquam concedit, quin prius obtinuerit Procuratoris Generalis *informationem et votum.*

d) Quoad Religiosos, qui absque licentia Ministri Generalis Romam se conferunt ad saecularizationis Indultum expostulandum, a S. Congr. EE. et RR. die 21 Januarii 1842 decretum fuit, eos obligari ad redeundum in Conventum, ut ibi exercitia spiritualia peragant, et absolutionem ab incursa censura obtineant (2).

e) Religiosi, qui hunc in finem recursum fecerint ad quamcumque personam extraneam, etiam in dignitate extra Ordinem constitutam, nihil proficient; quia Procurator Generalis hu-

(1) Ita cautum est in Constitutionibus generalibus Ordinis nostri sub n. 93.

(2) Idem praescribunt Const. gen. Ordinis sub n. 203.

jusmodi litteras commendatitias haud attendit, nec attendere potest. Quinimmo, si per ejusmodi recursum convicti fuerint, quod Ordinem infamaverint, vel contra Ordinis Praelatos oblocuti fuerint, vel simpliciter favores saecularium impetraverint, poenas in nostris Constitutionibus statutas non effugient (1).

f) Fratres sacerdotes, qui saecularizationem *perpetuam* desiderant, ut supra dictum est, prius invenire debent Episcopum dioecesanum benevolum receptorem; secus S. Congr. EE. et RR. Indultum denegabit, vel illud ad annum dumtaxat concedet cum onere, ut Religiosus interim talem Episcopum benevolum receptorem inveniat, vel ut de competenti patrimonio sibi providere studeat; quatenus titulus *paupertatis* illi suffragare amplius non potest (2).

g) Quoad illos qui saecularizationem non pro tota vita, sed *ad tempus* tantum efflagitant,

(1) Contra Ordinis infamatores sub n. 324 decernitur poena privationis titulorum et privilegiorum, ipsi ob merita aut officia antea concessorum; insuper inhabiles redduntur ad Ordinis officia. In obloquentes contra Ordinis Praelatos statuta est ibidem sub n. 323 poena detentionis in Conventu pro modo culpae, nec non privationis vocis activae et passivae. Similiter ob hujusmodi recursum ad personas saeculares, ibid. sub n. 330, privandi sunt voce activa et passiva.

(2) S. Congr. EE. et RR. 11 Sept. 1833, et 30 Jul. 1834.

sufficit ut probent, se habere necessaria, unde convenienter vivere valeant (1): exclusa semper illa pensione, quae alicubi a gubernio civili Religiosis suppressis solvitur: « ne cum proprii gradus dedecore emendicare cogantur (2) ».

h) Fratres laici solemniter professi non sunt subjecti legi de canonico patrimonio; sufficit ut ipsi probent, sibi necessaria non defutura, vel etiam se posse ea proprio labore comparare (3). Hujusmodi attestationum documenta simul cum supplici libello ad Procuratorem Generalem transmittere debent.

i) Saecularizationis Indultum ordinarie conceditur in forma commissaria. Remittitur nempe Ministri Generalis prudentiae, si agatur de saecularizatione temporanea; Episcopo autem illius dioecesis, in qua degit Religiosus saecularizandus, si agatur de saecularizatione perpetua; qui, *veris existentibus narratis,* juxta supra allegatam Const. Bened. XIV, *Pontificia commendatione,* pro suo arbitrio et conscientia licentiam manendi extra claustra dare valet. Praescribi etiam solet, ut Rescriptum Apostolicum *infra sex menses* sub poena nullitatis exe-

(1) Ibidem.

(2) Ita S. Congr. de Propag. Fide in Instruct. d. d. 17 April. 1871, sub n. 12., ap. Collectaneam ejusd. S. Congr. editam Romae 1893, pag. 400, sq., n. 1179.

(3) S. Congr. EE. et RR. 3 April. 1855.

cutioni mandetur. Ideo Religiosus saecularizandus jurisdictioni sui regularis Superioris in omnibus subjacet, donec saecularizationis Rescriptum executioni mandatum sit. Si Rescriptum elapso jam tempore statuto executioni mandaretur, dispensatio nullius esset roboris, et Religiosus saecularizandus, si jam e Conventu egressus est praetextu saecularizationis, ad Conventum redire deberet; alioquin incurreret poenas contra fugitivos latas (1). Rescripto intra praescriptum tempus executo, Religiosus saecularizatus non amplius habet jus gestandi habitum Ordinis.

Haec omnia plus minusve exhiberi solent in ipsa Indulti saecularizationis formula, quae generatim his similibusve verbis, pro rerum adjunctis exprimi solet: « Sanctissimus, attenta informatione et voto P. Procuratoris Ordinis... perpensisque peculiaribus circumstantiis... benigne annuit... et propterea mandavit committi Ministro Generali Ordinis (vel Epicopo N. N.) ut, veris existentibus narratis et dummodo Orator provisus sit... pro ejus congrua sustentatione facultatem manendi in saeculo quoad vixerit in habitu presbyterali (pro Fratribus Conversis in habitu honesto), et retento interius aliquo regularis habitus signo, pro suo arbitrio et conscientia eidem concedat; ita tamen, ut

(1) Ead. S. Congr. 20 Decemb. 1840.

exemplariter vivat, substantialia votorum suae professionis cum novo statu compatibilia observet, et sub obedientia Ordinarii loci, in quo morabitur, etiam in vim voti religiosi vivat, et Superioribus Ordinis obsequium aliquando exhibeat. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Hoc autem Decretum P. Ministro Provinciali notum illico reddendum, nisi intra sex menses fuerit executioni mandatum, nullius esto roboris (1) ».

VIII.

EFFECTUS SAECULARIZATIONIS.

Religiosorum saecularizatorum favores et onera. Cum Religiosus per Indultum saecularizationis non solvatur totaliter a Religione quam professus est; cum in ecclesiastica hierarchia tamquam Religiosus semper consideretur et sit (2): idcirco, etiam postquam Indultum saecularizationis executioni mandatum fuerit, ipse non privatur quocumque Religionis suae privilegio et gratia; quemadmodum nec liberatur a plerisque professis obligationibus. Hinc necessarium existimamus summarie ista duo capita in memoriam revocare.

(1) Cfr. Acta S. Sedis, vol. IV, p. 389-390; item Acta Ord. Min., an. IV, p. 91.

(2) Acta S. Sedis, l. c., p. 392.

S. m. Pius Pp. VI in laudato Brevi ad Episcopum Brunensium authentice jus commune quoad Religiosos saecularizatos hisce paucis complexus est: « ... quisque debet versari in saeculo, memor vocationis suae, ejusque tenax disciplinae et vitae regularis, cui se pridem adscripserit. *Vota solemnia, quae semper firma, semperque immota permanebunt,* custodiat et servet. Sacrilegium profecto esset, si quid a purissima castitatis obligatione detraheretur. Studio etiam paupertatis, quantum pro nova vivendi ratione, fas erit, omnes addicti sint, ut fallaci terrestrium cupiditate immunem laetumque animum prae se ferant. Obedientiam quoque praestent Episcopo, et sub veste signum aliquod gerant regularis professionis, ne ex hac revera exiisse videantur ».

Haec est communis doctrina Ecclesiae, quam videre est in plurimis SS. Congregationum decretis (1). Illi plane concordant ipsorum Indultorum contextus: quae, Indulta seu Rescripta saecularizationis, cum sint vulnera in legem, juxta communem theologorum et canonistarum sententiam, strictae sunt interpretationis; adeoque Religiosi tantum juris ac

(1) Cfr. declarationem S. Poenitentiariae diei 18 April. 1867; resolutionem S. Congr. EE. et Reg. in *Tricaricen.* seu Ord. Min. Reformatorum, 13 Aug. 1886, et 18 Mart. 1887.

indulgentiae per saecularizationis Rescriptum sibi vindicare poterunt, quantum ostenditur *expresse* concessum (1).

Ex hac communi et omnino tenenda doctrina, sponte sua sequentia fluunt corollaria. Et quidem:

1° Religiosus saecularizatus solvitur ab obligationibus, quas cum sua Religione per professionem votorum solemniter contraxit; vicissim quoque solvitur Ordo ab obligationibus erga eumdem Regularem contractis. Compertum enim est, per religiosam professionem oriri inter Ordinem et Professum quasi-contractum mutuasque obligationes, praeter votorum et regulae obligationes, quae solemniter Deo nuncupantur.

2° Ideo manent vota solemnia Deo nuncupata, et manent obligationes ea sequendi quae cum votis proxime saltem sunt connexae, arcendique ea, quae observantiae votorum refragantur. Haec satis exprimuntur in laudato Brevi Pii VI et per verba in Rescriptis inseri solita *substantialia votorum*.

3° Per Rescriptum saecularizationis votum castitatis absolute nullam subit mutationem. « Sacrilegium profecto esset, inquit s. m.

(1) Cfr. Bizzarri, Collectan. cit., pag. 720, et sq.; Acta S. Sedis, l. c.

Pius VI, si quid a purissima castitatis obligatione detraheretur ».

4° Cum autem per eam relaxationem inter Ordinem et Professum impossibilis reddatur observantia voti obedientiae erga Superiores Ordinis, ideo, firmo tamen manente obedientiae voto, commutatur Superior, cui vi voti est obediendum: subintrat nempe in locum Superioris regularis erga Religiosos saecularizatos Ordinarius ejus dioecesis, ubi saecularizati moram habebunt, ut in Rescripto saecularizationis dicitur. Hinc Ordinarius loci jurisdictionem in saecularizatos non tantum habet sicut in saeculares clericos, sed insuper illis *in virtute s. obedientiae* praecipere, et sic eos obligare potest, prout antea eorum Superior regularis obligare poterat (1).

5° Propter hanc ab Ordine separationem saecularizatus amittit communionem omnium bonorum spiritualium et temporalium, quae propria sunt Ordini (2), quem reliquit. Quam ob rem, inquit S. Congr. Immunitatis (3), « neque enim congruit nec expedit Apostoli-

(1) Cfr. Bouix, De jure Regularium, edit. Parisiis 1857, tomo II, pag. 518 et sq.

(2) Acta S. Sedis, l. c.

(3) In *Anagnina,* fori, 6 Jun. 1826; similiter S. C. EE. et RR. 5 Aug. 1872; item S. Poenitentiar. 28 April. 1867.

cae Sedis ditari muneribus, qui non Ecclesiae, uti se sponte dicaverant, at suis malunt vivere commodis ». Secus ferventes Religiosi, qui jugum observantiae portantes in sua vocatione ex integro perseverant, deterioris essent conditionis (1).

6° Verumtamen Religiosus saecularizatus conservat ea privilegia, quae eidem competunt ob emissa vota religiosa, quibus Deo perpetuo sacratus est (2): conservat videlicet dignitatem personae Deo dicatae, et inde saltem privilegium *fori,* prout clare dignoscitur ex respons. S. C. Immunitatis in *Anagnina,* diei 6 Junii 1826.

7° Religiosi saecularizati votorum solemnium jus non habent ut recipiantur ab Episcopo originis; quia ob statum permanentem quem amplexi sunt, in perpetuum a jurisdictione Episcopi omnino subtrahuntur: propterea subjiciuntur jurisdictioni ejus Episcopi, qui eos benigne receperit (3).

(1) Cfr. Ferraris, Bibliotheca etc., v. *Ejicere,* n. 57 et sq.

(2) Hinc Pius IX in Syllabo sub n. 52 et 53 proscripsit sententias eorum quibus docetur, quod gubernium civile naturam aut effectus religiosae professionis immutare possit.

(3) S. Congr. EE. et RR. in *Tarvisina,* 6 Mart. an. 1864, ad 4., et in *Rhedonen.* 27 Febr. an. 1891. Cfr. Bizzarri, op. c., p. 712; Acta S. Sedis, vol. XXIII, p. 634.

8° Regulares saecularizati per solum saecularizationis Indultum non redduntur a S. Sede idonei ad sibi vindicanda ea jura, quae sunt propria cleri saecularis, sicuti sunt beneficia; sive quia in saecularizationis Indulto non expresse concessa; sive quia in jure Regularibus expresse denegata; sive tandem, quia cum observantia votorum non undequaque compatibilia, quales sunt praesertim ecclesiasticae dignitates (1). Attamen, urgente necessitate, ab Episcopo loci cogi possunt ad acceptandam administrationem paroeciae ad tempus, respondit S. Congr. EE. et RR. ex audientia SSmi 30 Julii 1881 (2): secus ad obtinenda beneficia ecclesiastica vel dignitates clero saeculari reservatas, requiritur speciale Indultum S. Sedis, ut pro Regularibus non saecularizatis, ut constat ex S. Congr. EE. et RR. 11 Sept. 1839.

9° Supra vidimus, quod Religiosus saecularizatus aliquod signum habitus suae Religionis subter vestes saeculares deferre debeat.

10° Quoad votum paupertatis est animadvertendum :

a) In confesso est apud theologos et canonistas, quod Religiosus etiam post saecula-

(1) Acta S. Sedis, vol. IV, pag. 373, et 390, sq.
(2) Ibid. vol. XIV, pag. 91, sq.

rizationis Indultum remaneat dominii, possessionis et proprietatis incapax (1).

b) Ast pro novae suae conditionis exigentia concessa ipsi censetur generalis facultas utendi rebus temporalibus, pecunias retinendi, nec non emendi, dandi, vendendi aliosque actus opportunos ineundi. Haec tamen omnia non potest facere tamquam dominus, sed solummodo tamquam administrator (2).

c) Quare ad usum habendum bonorum quae honestam sustentationem excedant, nec non ad facultatem de bonis disponendi, praesertim per testamentum, sicut et de notabilibus donationibus causa mortis, necessaria sunt Regulari saecularizato alia Pontificia Indulta, quae esse videntur quaedam partiales dispensationes super voto paupertatis, quaeque strictae sunt interpretationis (3).

d) Nisi secus clare et expresse in ipso saecularizationis Indulto cautum fuerit, tenenda est generalis Juris regula: « Monachus quidquid acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit ». Nempe usum facti, sine quo praesens vita sustentari nequiret, ipse saecularizatus habet; et quidem *moderatum,* quatenus Concilium Tri-

(1) Ibid. vol. VI, pag. 404, sq.

(2) Cfr. Bouix, op. c., tom. II, p. 518, sq.

(3) Acta S. Sedis, l. c.; Bizzarri, op. c., pag. 75 in nota.

dentinum (1) omnibus indiscriminatim Regularibus, adeoque et saecularizatis, usum rerum temporalium *superfluum* interdixit: dominium vero omnium talium rerum habet Religio seu Ordo ejus, sive nomine proprio, sive nomine S. Sedis (2).

e) Cum ususfructus, seu usus rerum temporalium nudus, i. e. formalis, separatus a proprietate rei, Regularibus omnibus prohibitus est ex eo, quod omnibus clericis et monachis interdicta est negotiatio lucri causa, uti constat ex variis Juris canonici locis (3); sequitur quod et saecularizatis interdictus sit.

f) Saecularizatus, si *perpetuae* saecularizationis Indultum obtinuerit, tunc ejus bona temporalia post obitum relicta, utpote ecclesiastica, ad haeredes non transeunt; sed de eis disponere ad Sedem Apostolicam pertinet, juxta Const. Gregorii XIII, nisi Apostolicum Indultum obtinuerit, libere disponendi de bonis suis, tunc in illa succedit cujus favore facta est dispositio (4).

g) Nihilominus in omni casu post ejus obitum bona quae Religionis erant, scilicet quae egrediens e claustro secum attulerat, ad

(1) Sess. 25 de Regul., cap. 2.
(2) Ibid., cap. 3.
(3) Cfr. Ferraris, v. *Emphyteusis,* art. 2, n. 3.
(4) Cfr. Bizzarri, op. c., p. 52-54, et p. 70-71.

eamdem Religionem redeunt, non obstante contraria ejus dispositione; quia nemo valide tamquam proprietarius de rebus alienis disponere potest: neque Indultum Apostolicum contrarie huic juri communi umquam accipi potest.

h) Idem dicendum quoad saecularizatum *ad tempus.* Immo hoc in casu non solum bona quae secum ex Religione attulerat ad eamdem post ejus obitum redire debent, verum et omnia alia quae quocumque modo ei obvenerant, quemadmodum et bona si quae habebat ex illis provenientia; item jus percipiendi ratam pensionis, si quae datur (1); nisi contrarium ex ipso Indulto clare, expresse et specifice probetur, et nisi contrarium constet ex legitimo Concordatu inter respectivum gubernium civile et S. Sedem.

i) Unde sequitur, quod bona Regularis saecularizati *quoad vixerit,* vel *ad tempus,* ubi lex saecularis illegitime illa post mortem ejus haeredibus tribuit, sive per testamentum sive ab intestato, debent haeredes, si velint tuta conscientia illam haereditatem colligere, ad Sedem Apostolicam recurrere, ut bonorum illorum haereditas in ipsos transferatur (2).

k) Testamentum autem factum, vel ab intestato haereditas collata Regulari saeculari-

(1) Id. ibid.; Bouix, II, pag. 519.
(2) Cfr. Bouix, l. supra cit.

zato, cedit in proprietatem Religionis ejus, juxta exposita, si ejus Religio bona in communi possidere potest, quales sunt omnes Religiones, excepta nostra Minorum Observantium et Capuccinorum (1). Itaque hujusmodi haereditatum capiendarum Fratres nostri omnino incapaces sunt, etiamsi *perpetuum* saecularizationis Indultum habeant, et Beneficium simplex, ut Canonicatum, etiam cum residentia, vel cum cura animarum, prout declaravit S. C. EE. et RR. 23 Januar. 1863 (2). Alia utpote est res de promotis Fratribus nostris ad Beneficia *majora,* de quibus hic sermonem non instituimus.

Denique *l)* notandum est, quod per saecularizationem Religiosi solemniter professi non annulletur abdicatio bonorum ante professionem ab ipso facta. Ejusmodi renuntiationes, quae fiunt intuitu professionis religiosae, *substantiantur,* uti ajunt, ex subsecuta professione, ita ut irrevocabiles evadant (3).

11° Praeter obligationem ad observantiam votorum substantialem, Religiosi saecularizati obligantur ad *exemplarem* vitam ducendam, adeoque ad disciplinam ecclesiastico-re-

(1) Concil. Trid., Sess. 25 de Regul., cap. 3.

(2) Apud Acta S. Sedis, vol. I, pag. 222-228.

(3) Cfr. Bizzarri, pag. 775; Thesaur. resol., tomo 70, pag. 179.

gularem, prout explicite in Rescripto saecularizationis illis imponi solet. — Cum sint sub omnimoda jurisdictione Episcopi dioecesani, ut supra dictum est, aeque ac clerici saeculares, ea omnia vitare debent quae de lege ecclesiastica communi prohibentur clericis in sacris constitutis (1): uti speciatim negotiis saecularibus implicari (2), mercaturam exercere (3), advocati munus gerere in tribunalibus civilibus (4), vilia officia obire (5), quemadmo-

(1) Cfr. litt. encycl. Clementis Pp. XIII incip. *Cum primum* d. d. 17 Sept. 1759, apud Collectan. S. Congr. de prop. fide, edit. Romae 1893, pag. 116, n. 340; item Encyclicam Pii Pp. IX, d. d. 17 Jun. 1847 ad omnes Ordinum Moderatores, sub n. 5, apud Bizzarri, op. cit., p. 818, sq.

(2) Cap. 1. *Ne Clerici vel Monachi saecularibus negotiis se immisceant.* Immo hoc evidens est ex Epist. I Pauli ad Timoth., cap. 2.

(3) Cfr. Ferraris, v. *Ejic.*, n. 50; S. C. EE. et RR. in *Cisterc. Montis Sorracti* 17 Aug. 1792, ap. Bizzarri, p. 399: per consequens neque societatis monetariae membra esse possunt; quia hujusmodi societates ingredi est negotiationem per interpositam personam exercere, quod expresse Bened. XIV in Bulla *Apostolicae servitutis* prohibuit. Cfr. resp. S. C. EE. et RR. in *Civitatis Castelli* 30 Jan. 1846, ap. Bizzarri, pag. 530. Similiter cambium activum omnibus ecclesiasticis est interdictum. Cfr. Collectan. S. C. de prop. fide, cit., pag. 116, et pag. 114, n. 336.

(4) Cap. *Clerici* 1, et in Cap. *Cum Sacerdotis De Postuland.* Cfr. Acta S. S., vol. XVI, p. 229.

(5) S. C. EE. et RR. in sua Encycl. d. d. 16 Martii 1697, ap. Bizzarri, pag. 394, sq.

dum etiam arti medicinae aut chirurgicae dedicari (1). Et insuper eosdem plene subjici debere legibus dioecesanis, per se consequitur; quia in nullo exemptionem suam a jurisdictione Episcopi, in cujus dioecesi sunt, vindicare queunt.

12° Etsi ecclesiasticum Beneficium non habeant, tamen sub gravi ad divini officii recitationem per modum ceterorum Fratrum solemniter professorum obligantur omnino. Et quidem Religiosi saecularizati, etiamsi Parochi munus gerant, si eorum Religio proprio Kalendario utatur, uti nostra Religio seraphica utitur, debent uti Kalendario proprio sui Ordinis, et non dioecesano, uti constat ex variis SS. CC. responsis (2). Quotiescumque datur facultas recitandi *Rosarium* loco divini officii, intelligitur quod integrum, i. e. quindecim de-

(1) Constat ex plurimis SS. CC. responsis. Cfr. cit. Collect. S. C. prop. fide, pag. 81, sq, pag. 113, sq., et p. 539-543.

(2) S. C. de Propag. fide 16 Sept. 1771 in cit. Collectan. pag. 784, n. 1922; S. Rit. C. in *Tudent.*, 23 Maji 1846, ad 5, ap. Kalendar. perpet. P. Aloys. M. a Carpo, edit. Ferrariae 1875, p. 68; et ead. S. C. 25 Aug. 1882, ap. Collect. S. C. prop. fide, p. 786, sq, n. 1936, sq; item ead. S. R. C. in una *Ord. Min. S. Franc. Excalc.* 13 Maji 1892, ap. Acta S. S., vol. XXIV, pag. 737-8; et in *S. Christophori de Havana* die 23 Junii, an. 1893, ap. Acta S. S., vol. XXVI, p. 55.

cadum recitandum est, nisi expresse aliter ex licentia deduci debeat; quatenus « prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi (relinquitur ut), attentis peculiaribus personarum adjunctis, commutationem in tertiam partem et in preces tertiae parti respondentes », facere possit (1).

13° Quamvis certo non constet hujusmodi saecularizatos Regulares, qui *in perpetuum* abscissi sunt a religiosa familia per Indultum Apostolicum, teneri tamen probabilius sustinemus eosdem, ultra substantialia votorum, etiam ad alia regulae praecepta, quae cum novo eorumdem statu compatibilia sunt, ut ad jejunia (2).

IX.

DE REGULARIUM SAECULARIZATORUM REGRESSU IN RELIGIONEM.

Jam supra vidimus quinam apud nos *debent* recipi in Religionem, qui non debent sed

(1) S. C. s. Off. 2 Julii 1884, ap. Collectan. S. C. prop. fide, p. 785, n. 1926.

(2) Cfr. Bizzarri, pag. 720, sq. in nota. Quod si ipse dicat *perpetuo* saecularizatos ad hujusmodi praecepta non obligari, quia hanc dispensationem non solent quaerere, id nobis videtur provenire ex incuria eorum.

possunt, et qui nec debent *nec possunt* amplius recipi sine speciali ad hoc Indulto Apostolico; quia causae receptionis Regularium saecularizatorum sunt penes eorum Superiores regulares pertractandae, ut edixit S. Congr. EE. et RR. 30 Januarii 1824, ad 4 (1).

a) Jamvero si recipiantur in Religionem, non tenentur tunc novitiatum et professionem reiterare, quia, uti dictum est, professio religiosa per Indultum saecularizationis non infirmatur; salva tamen consuetudine legitime introducta atque praescripta singulorum Ordinum regularium. Possunt tamen Superiores regulares ab hujusmodi Religiosis exquirere congrua documenta anteactae vitae et morum dum in saeculo versabantur, et obligare eos ad spiritualia exercitia peragenda (2), prout expresse in nostris Constitutionibus praescribitur sub n. 98: « Quilibet vero, etiam ad tempus tantum, saecularizatus, resumpto habitu, in aliquo Provinciae Recessu ordinarie per sex menses degat, ut religiosi spiritus residuum, quod eruca, locusta, rubigo saeculi non comedit, excitare valeat ».

b) Item in nostris Constitutionibus sub n. 97 praescribitur: « Quoad praecedentiam post reditum ad Ordinem saecularizati *ad tem-*

(1) Ap. Bizzarri, pag. 47, sq.
(2) Ead. S. Congr. ibid.

pus ob rationem a Definitorio Provinciali approbatam fruantur praecedentia, qua ante suum discessum gaudebant; reliqui vero non gaudeant praecedentia, nisi a die novae admissionis »; quod plane concordat cum resolutione S. C. EE. et RR. *in Congr. Camald.* 30 April. 1838 (1).

c) Quaecumque conventiones a Religiosis factae tempore saecularizationis non ligant Religionem, utpote *extra* et *praeter* eam factae, juxta regulas Juris: Quaelibet conventio suos tenet auctores: Res inter alios acta nec prodesse nec nocere valet tertiis qui non interfuerunt.

d) Quamvis ex decreto s. m. Pii Pp. IX diei 27 Aug. 1852 « Regulares etiam ad tempus saecularizatos debere exomologesim suam facere penes confessarios approbatos ab Ordinario loci, a quibus in actu sacramentalis confessionis absolvi poterunt etiam a censuris et casibus reservatis in Ordine, si in diocesi minime reservata sint » (2), post reditum tamen eorum in Ordinem eam facere non possunt nisi apud confessarios a suis Praelatis regularibus approbatos (3).

e) Licet Religiosus saecularizatus Rescriptum Apostolicum obtinuerit disponendi de

(1) Ap. Bizzarri, pag. 436.
(2) Ibid. pag. 129.
(3) Ibid. pag. 720-723.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

bonis suis, tamen post suum ad Conventum regressum independenter a suis Superioribus id facere non potest, seu tali Indulto uti non valet, prout respondit S. Congr. EE. et RR. 14 Febr. 1845 (1).

X.

FREQUENTIORES SAECULARIZATIONIS RATIONES.

Fautores saecularizationis plurimas congerunt cavillationes et praetextus; omnes tamen facile ad sequentia novem capita revocari possunt: scilicet *a)* ad parentum indigentiam; *b)* ad malam in Ordine tractationem; *c)* ad invitationem ab aliquo factam; *d)* ad munus parochiale ob necessitatem exercendum; *e)* ad conditionem semet saecularizandi in ipsa professione factam; *f)* ad solvenda debita; *g)* ad sanandam infirmitatem; *h)* ad effugiendam Religionem relaxatam; *i)* ad ducendam vitam solitariam. — Quam autem insubsistentes sint hujusmodi et similes eorum rationes, vel ipsis Religiosis novitiis compertum est; qui videlicet aliqualem notionem habent de natura status religiosi, de vocatione divina ad ejusmodi statum, de professione religiosa, de obligatione Regularium tendendi ad perfectionem, de momento

(1) Ibid. pag. 572, sq.

vitae communis, de sequelis privatorum peculiorum, de praestantia voti obedientiae, ac praecipue de existimatione saecularizationis apud Regulares, de qua supra nonnulla protulimus. — Nihilominus utile putamus breviter quoad singula suprafata puncta animadvertere.

Quoad *a)* S. Alphonsus (1) sic procedit, dicens: « Sed magna quaestio est, an, parentibus egestate pressis, filius jam professus teneatur egredi, ut eis subveniat? In necessitate extrema certum est teneri. Dicunt tamen Salmanticenses..., quod hoc non procedit, si filius e claustro possit subvenire, quin egrediatur; nec, si patris necessitas non sit evidens, et Praelatus licentiam neget, judicans necessitatem non esse talem; quia in dubio standum est judicio Superioris. At dubium majus est, si necessitas parentum evidens sit, sed tantum gravis? Adest triplex sententia. *Prima* dicit teneri filium egredi, quia per votum non extinguitur obligatio naturalis filii erga parentes... *Secunda* sententia distinguit, et dicit, quod si necessitas parentum antecedit professionem, filius tenetur egredi, quia obligatio jam contracta non extinguitur per professionem; secus si professionem subsequitur. Ita valde probabiliter Elbel... *Tertia* sententia *probabilior* docet in tali casu non teneri, nec posse filium egredi

(1) Op. Moral., lib. 4, cap. 1, dub. 5, n. 67.

sine licentia, sive necessitas parentum praecedat professionem, sive non. Et probatur ex S. Thoma: Ille vero, qui jam est in Religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo; unde non debet occasione sustentationis parentum exire e claustro (1). Tenetur tamen, salva sui Praelati obedientia, et suae Religionis statu, media adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur. Probatur inde ratione, quia sicut filius conjugatus non tenetur relinquere uxorem, et adire parentes, ut eos alat... sic neque Religiosus tenetur claustrum deserere ad subveniendum parentibus »...

Quoad *b)* Mala tractatio apud bonos Religiosos vix suspicari potest, si sub hoc nomine intelligatur injusta persecutio. Datur utique rigor disciplinae, ut in societate optime constituta; datur quoque inordinatae libertatis limitatio vi voti obedientiae, sicut et voluptatum ad decentem usum rerum temporalium coarctatio vi voti paupertatis: quapropter qui vult statum religiosum, velle debet et vota religiosa sine quibus ille esse non potest; et qui

(1) Sm. theol., 2-2, q. 101, art. 4, ad 4; et in loco paralello habet, ut professus e claustro procuret parentibus sicut potest cum licentia. Ibid., q. 189, art. 6, ad 1. Et alibi inquit: « Professi Religionem, mortui sunt mundo, et vivunt Deo; unde non sunt revocandi ad vitam humanam occasione cujuscumque eventus ». Ibid., q. 88, art. 11, ad 1.

nuncupat vota religiosa, velle obligatur et eorum effectus necessarios. Si igitur quisque hujusmodi vota liberrime eligit, numquid eorumdem observantiam nomine *malae tractationis* condecorare fas erit? — Poenae sunt! corrige mores; esto bonus, et poenae cessabunt. Injustae sunt poenae! si eas, juxta consilium Domini (1), patienter propter amorem Dei perferre nolis, non impediris recurrere ad Superiores majores. Me audire nolunt! dato non concesso, mutare potes locum; si non sufficit, Provinciam, vel etiam transire ad aliam Familiam aut Religionem potius quam ad statum saecularem, in quo sine dubio magis detractiones, calumniae, injustitiae et persecutiones locum habent quam in ulla Religione. Saecularium status, in quo vere viget fraterna charitas, sui abnegatio, gratuitum servitium etc., concipitur quidem, sed nec cum lanterna magica invenitur, teste S. Scriptura: « Mundus totus in maligno positus est (2) » ; « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitae (3) ». Quam ob causam tot milliones hominum utriusque sexus saeculum reliquerunt monasticam vitam amplectentes, ut pericula,

(1) Matth. 5, v. 6 et 10.
(2) I. Joan. 5, 19.
(3) Ibid. cap. 2, v. 16.

quae in eo sunt, evitarent, et animabus suis prospicerent. Unde intelligere non possumus quid significet illa Religiosorum excusatio: Ad saeculum redeo, ut animae *spirituali* prospiciam!

Quoad *c)* Invitatio cujusque personae infra dignitatem Romani Pontificis, si conjunctam habet saecularizationem, debet a Religioso respui, nisi circumstantiae a Rom. Pontifice probatae contrarium suaserint. Patet ex sacros. Concil. Tridentino (1): « Prohibet S. Synodus, ne quis Regularis, sine sui Superioris licentia, praedicationis, vel lectionis, aut cujusvis pii operis praetextu, subjiciat se obsequio alicujus Praelati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscumque personae, seu loci; neque ei aliquod privilegium aut facultas, ab aliis super iis obtenta, suffragentur. Quod si contrafecerit, tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur ».

Quoad *d)* Si Episcopus pro aliquo officio ecclesiastico, vel pro paroecia indigeret aliquo Regulari, is non debet saecularizari; quia qua Regularis habilior esse potest ad hujusmodi munia obeunda, quam qua saecularizatus: modo debitam licentiam habeat extra Conventum commorandi. Idque consequitur, seu arcte colligatur cum illo casu a canonistis dilucidato, quo permittitur Episcopo repetere clericum

(1) Sess. 25 de Regul., cap. 4.

etiam post professionem, quando Ecclesia grave damnum pateretur ex mora ejus in claustro. Ad rem s. m. Bened. XIV (1): « Quod vero jus certis in casibus certisve de causis competit Superiori Ordinis laxioris, ut suum subditum regularem ad strictiorem Ordinem digressum, etiam post solemnem professionem in eo emissam, repetere et revocare valeat; idem similiter certis in casibus, justisque exigentibus causis, Episcopo competit, ut suum clericum saecularem, Ordini regulari adscriptum repetere possit ».

Quoad *e)* Qui dicit se sub hac conditione semet saecularizandi professum fuisse, adeoque apposuisse conditionem professionis valorem impugnantem (2); quod idem est ac eam *ficte* emisisse: ejus tunc assertio tanti valeret, quanti pondera rationum, quibus valorem professionis impugnat. Quod si nequiverit probare professionem suam *nullam* esse, neque ratione dubii Apostolicam dispensationem obtinuerit (3), ille in Religione remanere debet.

(1) In Bulla *Ex quo* 14 Jan. 1747, ap. Bouix, tom. I, p. 549, sq.

(2) Cfr. Schmalzgrueber in tit. de Regularibus, n. 166.

(3) Cfr. Bizzarri, pag. 535-7, et p. 556, sq., et p. 622-5; Acta S. S. vol. II, p. 451, et ib. vol. XXV, p. 314.

Quoad *f)* Probabilius est Religiosum aere alieno gravatum non posse saecularizari, nec sufficiens ratio censetur a S. C. EE. et RR. ad hujusmodi Indultum obtinendum; ut colligitur ex novissima ejusdem S. Congr. resolutione in *Romana* — Solutionis mutui ac fructuum — sub die 29 Aug. 1892 (1), quae non obligavit Ordinem ut debito illi satisfaciat, quia a Religioso contractum fuit illegitime, absque consensu Superiorum; neque illum Religiosum obligavit, quia non habebat unde redderet; neque illi saecularizationis Indultum dedit, ut ita successu temporis restituere possit, sed illum nequam Religiosum in perpetuum voce activa et passiva privavit: nec enim Superioris nec cujuslibet alterius personae delictum debet nocere Monasterio seu Religioni, ut in Jure cautum est (2).

Quoad *g)* Infirmitas non potest esse ratio sufficiens saecularizationis, quia in saeculo dantur infirmitates aeque ac in Religione, ut mitissime loquamur. Famulatum autem in Religione, uti et cetera subsidia corporalia et

(1) Cfr. Acta S. S., vol. XXV, p. 361-369.

(2) « Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare ». R. J. LXXXVI, in 6; Cap. *Delictum* 76, ap. Engel, De privileg. et jurib. Monast. Privil. XXVI. Hoc facile evinci posset ex effectibus solemnis professionis, si opus esset.

praesertim spiritualia copiosius faciliusque habere possunt; et si conreligiosi vere observantes sint suarum obligationum, certe omnia commodius habent quam in saeculo.

Quoad *b)* Certum est quod amor saecularizationis cum amore regularis disciplinae simul stare non possit; ideoque vanum est hujusmodi saecularizandorum effugium. Nostra sententia, ipsi sunt in causa relaxationi disciplinae regularis, ut Ordo infametur, et Religiosorum inimici sibi triumphare videantur. Sicut enim omnes unius Religionis professores easdem habent obligationes, sic omnium et singulorum curae primario esse debet, onus sibi deliberate impositum fideliter deferendi: quod si aliqui nolint suis obligationibus correspondere, etiamsi tales permulti sint, etiamsi nulli sint vere observantes secundum tuum modum videndi, quod nunquam probare poteris, esto tu, saecularizande! praei bono exemplo, redde Altissimo vota tua! Vocatus es ad Religionem? — Difficultate tua id confirmas. Age igitur: alia tibi via ordinaria non datur pertingendi ad portum salutis, nisi via vitae Religiosae. Siquidem in saeculo non habebis illa specialia Dei auxilia, quae in tua Religione habes; « cum innumeris in eventibus funestis legamus in historiis tragice executas minas, quas proferunt Scripturae in hujusmodi divinae

vocationis desertores », ait S. Alphonsus (1). Putamus non esse tuos conreligiosos ita relaxatos prout relaxati fuerunt plures in Galliis an. 1765, quos Comitia generalia cleri gallicani ad Clementem XIII detulerunt, ut religionis bono et incolumitati consulerent, et spiritualia damna, quibus afflictabatur, ab ea removerent. Nonne illi illustrissimi Praelati reformationem eorum Pontifici proposuerunt? Quare saecularizationem ut medium opportunius et salubrius non adsignarunt? Quomodo saltem Summo Pontifici saecularizatio pro iisdem in mentem non venit? Pius VI in suis litteris ad eadem comitia rescripsit et contestatus est, eorum malorum quibus religio afflictabatur primariam causam fuisse « licentiam Monachorum qui, ut dissolute et commode viverent, sui Instituti compedes confringere atque abjicere adnitebantur, atque emendationi et reformationi morum, quae proponebatur, assentiri renuebant »; saecularizationem tamen non consuluit. — Enimvero in confesso est: qui sunt mali in Religione, pejores evadere in saeculo; unde nonnisi inimici religionis catholicae effrenatis Religiosis saecularizationem suadere solent.

Quoad *i)* Neque desiderium solitariae vitae est sufficiens ratio saecularizationis: nam hujusmodi modus vivendi solitarius, absque

(1) Isai. 30, 1; Job 14, Prov. 1, 24. L. c., n. 78.

consortio humano, docet S. Thomas (1), competit tantum viris in doctrina et sanctitate apprime versatis, et in omnibus virtutibus ita exercitatis, ut non jam inter incipientes, aut proficientes, sed inter perfectos referrentur; insuper adeo sibi et mundo sint mortui, ut unice Deo et rebus coelestibus facile possint vacare. « Si autem absque praecedenti exercitio talis vita assumatur, concludit S. Doctor, est periculosissima ».

XI.

CONCLUSIO.

Hisce breviter perspectis, etiam nos concludimus: nullum unquam bonum et vere Religiosum novimus, qui deliberate saecularizationis Indultum exquisivit, aut eo potitus est. Similiter nullum unquam malum saecularem novimus, qui sincere appetivit, aut ingressus sit statum religiosum, nisi emendationis et perfectionis causa: dum nullus est relaxatus Religiosus qui quaerit saecularizationis gratiam ob emendationem et perfectionem, sed semper propter indebitam commoditatem. Facta enim loquuntur: tantummodo bonos saeculares fieri Religiosos, et vicissim solummodo malos Religiosos fieri saeculares.

(1) 2-2, q. 188, art. 7.

Sane si res ita se habet, lugendi sunt infelices saecularizati Regulares. Quapropter merito a S. Anselmo (1) ponderosis hisce verbis corripitur Religiosus, qui ab assumpto regularis vitae instituto deflectere cogitat: « Nihil salubrius potuisti incipere, inquit, nihil periculosius potes relinquere ».

Meditamini itaque, Fratres, qui Religionem fugitis et ad saeculum tenditis! Hujus etiam propositi gravitatem pervalidis rationibus demonstrant Turrianus, Theophylus Raynaudus et Gonzalez apud Benedictum Pp. XIV (2). Et per semetipsum quisque nostrum debet Religionem amare etiam humano mere ductus medio, si perbelle ejus constitutionem recogitaverit; si merita Regularium in Ecclesiam et in civilem societatem ex historia vera hauserit.

Verum equidem est « nos magna promisisse; sed majora promissa sunt nobis: servemus haec, suspiremus ad illa: voluptas brevis, poena perpetua: modica passio, gloria infinita: multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio ». — Frequenter recogitemus haec Seraphici Patris nostri S. Francisci verba, et incessanter Salvatori nostro gratias agamus, « qui nos liberavit, et vocavit vocatione sua

(1) Epist. 13.

(2) Cfr. De Synodo dioec., lib. 13, cap. 8, n. 9.

sancta (1) »; et DEUM oremus, quatenus gratiam sanctae vocationis, quam nobis concessit, ad mortem usque conservare dignetur; ut quae firmiter promisimus, semper fideliter adimpleamus. Sic facientes, cum regio Psalte decanere poterimus: « In pace in idipsum dormiam, et requiescam: quoniam tu, DOMINE, singulariter in spe constituisti me (2) ». « Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam (3) ». « Convertere anima mea in requiem tuam, quia DOMINUS benefecit tibi (4) ».

(1) II. Tim., 1, 9.
(2) Ps. 4, 9.
(3) Ps. 131, 14.
(4) Ps. 114, 7.

Cum licentia auctoritatis ecclesiasticae.

INDEX ANALYTICUS

I. Argumentum . . . . . *pag.* 3
II. Definitio 3
III. Distinctio 4
IV. Saecularizationis existimatio 5
V. Saecularizationis causae 8
VI. Quis Indultum saecularizationis concedit. . . 10
VII. Modus procurandae saecularizationis 14
VIII. Effectus saecularizationis 19
IX. De Regularium saecularizatorum regressu in Religionem. 31
X. Frequentiores saecularizationis rationes. . . . 34
XI. Conclusio 43

348.327 5431
P16
De saecularizatis...
/ P. Parma

348.327 5431
P16
De saecularizatis...
/ P. Parma

Graduate Theological Union
Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO